



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 130. Tumultus in Delphinatu, & alibi ab hæreticis suscitati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

§. CXXX.

Sæcul. XVI.
A C 1560.*Tumultus in Delphinatu, & alibi ab hæreticis suscitati.*

Post hæc Ordinum conventus Meldis *Thuan. l. c.*
 indictus Aureliam transferebatur: in-
 terea vero in Carnutensem Vice-Domi-
 num severe animadvertebatur, adeo, ut
 ejus quoque uxori illum invisendi ve-
 nia denegaretur: paulo post autem ad
 Bastilliam reductus, valida excubito-
 rum manu cinctus ædibus suis include-
 batur, ubi etiam e vivis excessit. Eo-
 dem tempore augebatur Protestantium
 indies per Galliam numerus, & cœtus
 ubique frequentes habebantur, crescen-
 te cum numero sociorum audacia; nam
 Franciscanorum templum vi occupant,
 & in eo ad conciones publice conve-
 niunt, Mirabello & Quintello hujus te-
 meritatis Auctoribus. Eadem quoque
 feritate, ac licentia Protestantes Mon-
 te-Adimari, Romanii, atque in aliis
 Delphinatus Provinciis debacchaban-
 tur, quinimo Ludovicus Maugironus
 Valentiam urbem occupans eandem
 deprædatus est; nec minus Carolus Mon-
 brunius sumptis armis in Comitatu
 Viscantino tumultus suscitabat, popu-
 lumque adversus Papam, cujus impe-
 rio hic Comitatus erat obnoxius, ad
 seditionem instigabat, falso prætexens,
 quod

Sæcul. XVI. quod Papa Avenionensis ditionis usur-
 A.C. 1560. pator esset (*). Cum vero Montbrunius sese a suis derelictum cerneret, per diverforii sui fenestram elapsus, ac rustici vestibus indutus eo facilius ipsum insequentes fallebat, atque omnibus rebus exspoliatus unacum uxore sua Genevam, inde vero Bernam ad Helvetios aufugit.

§. CXXXI.

Alii tumultus in Provinciam a Moventiis fratribus suscitati.

*Thuan. l. c.
 Varillas
 hist. de l'heres.
 tom. 5.
 p. 222. l. 3.
 Belg. comm.
 1. 29. n. 1.*

Haud minoribus quoque tumultibus Antonius, & Paulus Richandi Fratres, qui vulgo Moventii dicebantur, Provinciam turbabant, nam hi Castellanae agentes spuriae Reformationis studiosissimi erant: ut vero hac peste urbem eo facilius inficerent, ac prævalente

(*) Ipsimet Protestantes unanimi suffragio fatentur, quod jam anno Domini 1348. Clemens VI. Papa hunc Comitatum unacum Avenionensi urbe a Joanna Neapolis Regina, & Provinciae Comitissa persoluto octoginta milium florenorum pretio emerit: Quod autem summus Pontifex saltem æquali jure cum quocunque cive quamdam domum, agrum &c. in cujuscunque Principis ditionibus emente gaudeat, ipsum naturæ jus stabilire videtur,